



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs  
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1670**

Quæst. 6. Vtrum ad prouidentiam diuinam aliquod imperium ad  
intellectum pertinens aut necessarium sit, aut vtile.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77011](#)

Subiecto: ob idque simul est actio, & passio: actio, quatenus effectus per illam fit ab agente; & passio, quatenus per illam effectus recipitur in passo. Alia creativa, qua producitur effectus ex nihilo, id est, independenter ab omni subiecto: ob idque dumtaxat est actio, qua & agens efficit effectum, & effectus fit ab agente. Vtrumque autem est quadam entitas modalis distincta realiter a suo principio; sive increato, quando a Deo solo nascitur; sive increato, & creato, quando nascitur a Deo simul, & a causa creatu. A termino autem per eam productu pierunque est etiam distincta realiter; sicne modus quidam est intermedius inter efficiens, & effectum: non repugnat tamen effectus, qui te ipsis sine intermedia actione a suis efficientibus fiant. Quia omnia ut magis communia, & longe certiora oppositis suppono ex Philosophia. Cetera autem forme, quae de Dei omnipotenti tractant Theologum S. Thos. I. par. quest. 25. in tom. I. huius Operis tractata a me sunt.

81 Quibus suppositis, dico tandem, ad omnem prouidentiam Dei non solum aliquem, aut aliquos actus internos intellectus, & voluntatis, sed etiam aliquem, aut aliquos externos omnipotentiae pertinere. Quia nulla est prouidentia Dei, per quam non producantur ad extra aliquis, aut aliqui exterius effectus: repugnatque effectum vnum produci ad extra sine aliqua extera sua productione, ut constat. Etenim ordo quorumvis actuum mere internorum Dei in nullum prodeuntium effectum externum sub nomine prouidentie non cadit: atque adeo, omni exteriori effectu deficiente, omnis desiceret Dei prouidentia. Loqnor de prouidentia Dei positiva circa positivum effectus, & eorum productiones. Nam ordo actuum internorum, quem circa eorum negationes, & omissiones liberas haberet Deus casu, quod nullum unquam produceret effectum positivum ad extra, prouidentia negativa potest non incongrue appellari.

82 Ex dictis in hac questione infertur primò, aliquod imperium spectans ad voluntatem in actu voluntatis consilens ad omnem prouidentiam Dei positivam requisitum esse. Tale enim est omne decretum exequitium, quo voluntas imperare dicitur omnipotentie tanquam sibi subdita, ut in extera actionem prodeat, sive ipsam exequatur, iuxta doctrinam S. Thos. relatam num. 76. & apud Theologos communem. Secundò infertur, aliud imperium spectans etiam ad voluntatem, in actu voluntatis consilens, quo voluntas reflexè imperat sibi ipsi aliquem suum actum directum, aut necessarium, aut utile posse esse ad aliquam prouidentiam Dei. Quia ex una parte tale imperium possibile est Deo, ut supra disput. 34. quest. 10. statutum est; ex alia vero Deus vti eo potest in ordine ad obtinendum aliquem finem, reflexè imperando intentionem eius, vel electionem alicuius medijs vtilis ad ipsum. Intentio autem finis non solet appellari imperium ad voluntatem spectans respectu electionis mediorum; tametsi ad eam moueat, imo & necessitat, quando est efficax: quia non habet eam pro objecro: & de ratione imperij in universum videtur esse, quod aliquo modo habeat pro objecro rem imperaram. Si tamen quis velit intentionem vocare imperium, quo voluntas sibimet imperat electionem: eo quod illa ad hanc mouet, sive necessitat, in quo ceteris im-

perijs similis est: non multum contendendum erit cum illo. Superest agendum de imperio, si quod est, ad intellectum pertinens. Pro quo sit sequens questio.

## QVÆSTIO VI.

Vtrum ad prouidentiam diuinam aliquod imperium ad intellectum pertinet aut necessarium sit, aut vtile.

**F**amiliare est multis Theologis, ponere in quo- 83 uis agente intellectuali sive creato, sive increato quoddam imperium monasticum, quo sibi ipsi, vel suis potentibus imperet ea ratione, qua per imperium politicum, & externum Superior imperat suis subditis. Et quoniam imperium politicum, & externum ex proprio conceptu nihil est aliud, quam insinuatio, seu intimatio quadam subditis facta de voluntate Superioris. Insinuare autem, intimare, seu notificare ad intellectum pertinere videtur. Ideo dicunt, huiusmodi imperium in actu intellectus consistere. In eo tamen assignando non omnes conueniunt.

Quidam enim dicunt, neque esse simplicem 84 apprehensionem, neque indicium, neque discursum, sed actum alterius generis respondentem verbo modi imperatiui, *Fat hoc*. Sic docent loquentes de Deo Caprol. in 1. distinc. 40. quest. I. artic. 1. & 2. Caiet. I. par. quest. 22. artic. 1. & quest. 23. artic. 1. Valent. tom. 2. quest. 12. punct. 1. Granad. I. par. controuer. 4. tract. 5. disput. 3. sect. 2. & alij. Quibus consentit Quiros tom. 2. de Deo disput. 4. sect. 2. Præter eos, qui simile imperium ponunt in nobis. Quorum plures refert, & sequitur Salas 1. 2. tract. 6. disput. 2. sect. 2. Alij vero putant, dictum imperium indicium quoddam esse insinuans voluntatem imperantis, atque adeo habens illam pro objecro. Sic censem de imperio diuino Hemelman I. par. tom. 2. tit. 13. disput. 1. cap. 3. num. 4. & cap. 4. num. 6. Gonzal. disput. 69. sect. 3. Nazar. quest. 19. artic. 1. controuer. vnic. Cornejo quest. 23. artic. 1. disput. vnic. Ruiz tom. de Prouiden. disput. 3. sect. 7. & seqq. & alij.

Adhuc tamen inter hos Auctores lis est circa actum cadentem sub imperium, & circa potentiam, cui imperatur. Nam Hemelman. & Gonzal. supra, aliquje Thomistæ communiter existimant, postquam diuina voluntas intendit finem, & factio iudicio de medijs, aliquod eorum elegit, intellectum ipsi voluntati imperare, ut alium actu eliciat exequitium medijs electi, qui dicitur *vitus*. Quo pacto itidem de imperio creato philosophantur. Granad. tamen, Ruiz supra, & alij, hunc actu *vitus* non admittentes, dicunt, imperium immediatè dirigere ad potentiam exequitium, ipsique imperari per illud exequitionem medijs electi. Cui sententia consentire videtur Bellarm. lib. 2. de Grat. & liber. arbit. cap. 9. fine, & Soar. disput. 10. Metaphyl. sect. 7. num. 13. Alij denique, dictum actu *vitus* non admittentes, opinantur, voluntatem, postquam intendit finem, per dictum imperium sibi imperare.

re mediorum electionem. Cum quibus semper  
Quiros disput. 4. citata lect. 3. Omnes autem aut  
supponunt, aut exprimunt, potentiam, ad  
quam eiusmodi imperium dirigitur, quæcumque  
illa sit, cum non per ipsum necessarii ad actionem  
imperatum.

**86** Hoc igitur imperium monasticum, omnes  
ferme commemorati Doctores censemur requiri ad  
prudentiam Dei. Quibus additio Carmelit. in  
curlu Theologic. tom. 1. tract. 5. disput. 2. dub. 2. &  
Toan. à S. Tho. 1. par. tom. I. disput. 7. de Prædestin.  
artic. 2. & 3. alioisque citatos ab ipsis. Contra  
quos omnes carceri Theologi communiter tale im-  
perium tanquam non necessarium, aut etiam inu-  
tile ad prouidentiam Dei rejecunt. Molin. 1. par.  
quaest. 25. artic. 1. disput. 1. Soar. lib. 1. de Prædestin.  
cap. 16. & 17. Vazq. 1. par. disput. 8. cap. 2. num. 9.  
& disput. 87. cap. 3. num. 13. Falol. 1. par. quaest. 22.  
artic. 1. dub. 1. Arrub. disput. 63. cap. 3. Alarc. tract.  
de Prædestin. disput. 1. cap. 2. Herice disput. 22. cap.  
4. Tann. disput. 3. quaest. 2. dub. 2. Albiz. disput. 3. de  
Prædestin. lect. 4. Gaf. Hurt. disput. 1. diff. 2. Ar-  
riag. disput. 32. lect. 1. Veken. 1. par. disput. 25. cap.  
3. Carleton. disput. 37. lect. 1. & alij Recen-  
tiores communiter. Qui in nobis etiam ne-  
gant simile imperium. Non negant tamen  
actum intellectus, quo Deus ducitur ad operan-  
dum, imperium appellari posse per analogiam  
quamdam ad proprium imperium, ut pote cui in  
eo assimilatur, quod suadet, aut etiam impellit  
ad opus.

**87** Pro resoluzione suppono primò, impe-  
rium politicum, quo Superior imperat subditis,  
quodque propriissime omnium imperium vocatur,  
directe quidem in signo aliquo confistere iuxta-  
sentientiam omnium, quo subditis insinuat, seu  
intimatur voluntas Superioris, non qualiscunque,  
sed ea, quam habet eis præcipendi, seu eos ob-  
ligandi: quam voluntatem subinde indirecte,  
sive de connotato includit imperium in suo con-  
ceptu reali; ex hisque duobus dumtaxat con-  
flatur tota eius essentia, iuxta doctrinam a  
me traditam in Tract. de Legib. disput. 1. quaest.  
3. ubi monstravi, legem positivam, que im-  
perium quoddam est, in loquitione externa  
confistere, qua subditis insinuat dicta Super-  
ioris voluntas prout connotante eamdem vo-  
luntatem.

**88** Vnde infero primò contra Theologos non  
paucos, imperium politicum in actu intellectus  
Superioris confistere non posse. Quia imperium,  
ut fatentur omnes, ille dumtaxat actus est, quo  
imperans suam voluntatem notificat, insinuat,  
sive intimat ei, cui imperatur. Per nullum  
autem actum intellectus potest Superior subdito  
a se distincte notificare, insinuare, sive intimare  
voluntatem suam, ut sit per imperium politicum.  
Eo quod actus intellectus non alijs, sed ipsi in-  
teligenti insinuant, sive notificant obiecta; ne-  
que intelligens per actus intellectus loquitur alijs,  
sed tantum sibi ipsi. Dices. Omni loquitione  
externa responderet interna intellectio, pro qua  
illa subrogatur. Ergo & imperio exteriori res-  
pondet imperium internum in intellectione con-  
sistens, cuius illud est substitutum. Respondeo,  
est exteriori imperio, sicut & alijs loquitionibus,  
interna intellectus respondeat, hanc tamen  
non esse imperium, quo Superior imperat subdi-  
tis; sicut non est loquitor, qua illis loquitur.  
Addo, non semper loquitione externa eam in-  
tellectionem, pro qua subrogatur, in mente lo-

quentis respondere; ut patet in eo, qui affirmat  
exterioris, quod non indicat interioris; vel quia ju-  
dicat oppositum, vel quia negatiæ se haberet.  
Quia igitur loquitor externa non desinit esse loqui-  
tio significativa; imo & potest esse vera, si vere  
subsistat id, quod significat; est id aloguento non  
cognoscatur.

Ex quo colligitur, actum intellectus in-  
ternum praecptum externo correspondenter, quem  
Aduersarij imperium vocant, ad verum, & ob-  
ligatorum imperium, quo Superior imperat sub-  
ditis requisitum non esse. Quia sine tali actu in-  
tellectus potest Superior verba praecpta pro-  
ferra, eisque suam, quam habet, voluntatem  
vere obligandi subditos ipsos manifestare: quo  
nihil ad verum praecptum, verumve, & obli-  
gatorum imperium desiderabitur. Pro cuius  
maiori intelligentia nota, signum externum pra-  
ceptum, cuiuslibet demum illud rationis sit, hoc  
ipso, quod est praecptum, esse ex institu-  
tione sua significativum sive directe, sive indirecte  
voluntatis vere præcipendi, seu obligandi sub-  
ditos concepsa a Superiori, qui tale signum fe-  
riò profert. Vnde Superior fieri præcipiens, ne-  
mendax sit, interioris debet iudicare, se eam vo-  
luntatem habere, quam per externum signum  
notificat subditis. Ceterum, licet id non iudi-  
car, atque adeo formaliter mentiatur: si tamen  
vere habeat voluntatem obligandi subditos, quam  
per externum signum significat, materialiter dicet  
verum: atque ita verum, non fictum profert  
praecptum. Verum enim praecptum est, quo  
subditis insinuat, sive intimatur voluntas, quam  
revera Superior habet, subditos obstringendi, seu  
obligandi ad id, quod præcipit. Neque aliud ad  
verum, obligatorumque praecptum, sive impe-  
rium requiritur.

Sed estò, sit imperium internum ille  
actus intellectus, qui signo externo ordinariè in-  
mente præcipiens responderet. Rursus infero ex  
dictis, talen actuum nequam posse esse diversum  
ab apprehensione simplici, iudicio, & di-  
cursu, vt multi ex præcritis Doctribus esse  
contendunt; sed indicum proflus esse debere.  
Primò; quia solas illas tres species actuū re-  
cognovit in intellectu Aristot. lib. 1. de Interpret.  
cap. 1. quarta autem, quam addunt dicti Doc-  
tores, ne in mente quidem vent Aristot. Secun-  
dò; quia intellectus essentialiter, & adæquat est  
potentia cognoscitiva. Ergo nullum actum habe-  
re potest, qui non sit cognitio. Omnis autem  
intellectus cognitio sub aliquam ex illis tribus  
speciebus cadit, vt constat. Tertiò; quia nemo  
quam expertus est in suo intellectu actuū di-  
uersum ab illis tribus; vnde eius existentia non sit  
per se nota. Sed neque est fundamentum ido-  
neum, ex quo illa colligi possit. Ergo ea peni-  
tius confusa confenda est. Cetera patent. Min-  
orem probo. Nam, quod signum externum pra-  
ceptum possit, aut soleat esse verbum imperati-  
vi modi, nihil directe affirmans, aut negans,  
(in quo unice Aduersarij fundantur), nullus ad  
rem momenti est. Quandoquidem idem omnino  
praecptum datum per verbum modi imperati-  
vi, *Fac hoc*, (Subintellige ex obligatione), potest  
imo frequentius solet dari per verba modi indi-  
catiui, *Impero*, *Mando*, *Principio tibi hoc*, *Ve-  
lo* ut ex obligatione facias hoc, *Impono tibi obli-  
gationem ad hoc*, &c. Malèque proinde proper-  
vnum verbum imperatiui adstruitur quasi illi  
respondens in intellectu actus exoticus, & vis  
percep-

# Disp. 37. De natura Prouid. Dei, & part. eius. Q. 6. 617

perceptibilis; quando propter tot verba indicatiui, quibus idem ipsum significari intenditur, iudicium affirmatum eis plane respondens adstrui debet. Cuius doctrina ratio a priori iam supra insinuata est. Quia, cum tota vis obligatoria praecepti promonet ex voluntate, quam habet superior obligandi subditum per illud: quodcunque signum externum iuxta communem acceptiōnem, vñsumque hominum praeceptuum eo ipso sive directe, sive indirecte, sive formaliter, sive aequivalenter significat, dari in Superiori talem voluntatem: actusque proinde intellectus ei connaturaliter correspondens, in mente Superioris alius non est, nec esse potest, quam iudicium affirmatum de voluntate eadem: sive signum praeceptuum sit loquatio cuiusvis modi vel imperativi, vel indicatiui, sive sit aliquis natus, sive aliud quidpiam.

Posito autem, quod actus intellectus interueniens in imperio politico alius a iudicio esse non potest, manifeste consequitur, etiam iuxtam Aduersariorum, neque actus intellectus spectantem ad imperium monasticum alium a iudicio esse posse. Quod dubitabile non est proinde, ea facta suppositione; quia tota philosophia imperij monastici ex similitudine ad politicū delupta est.

Pro quo iam suppono secundò, si exacta similitudo obseruanda foret, in imperium monasticum in signo aliquo ponendum esse, quo intra idem subiectum potentiae subditæ intimaretur actus voluntatis tanquam Superioris, non quicunque, sed obligans morali obligatione potentiam subditam ad eum actum, quem ille pro obiecto habet. Ceterum, quia inter potentias eiusdem agentis eiusmodi obligatio non datur, loco obligationis, qua necessitas quedam moralis est, succedit necessitas physica. Imperiumque subinde monasticum cum omni proprietate possibili ille actus intellectus venit dicendus, quo insinuatur, sive notificatur potentiae subditæ actus voluntatis ut Superioris, non qualiscunque, sed necessitans subditam ad eum actum, quem ille insinuatus pro obiecto habet. Quo iure S. Tho. 2.2. quest. 83. art. 1. in corp. ait de ratione imperij abstrahentis a politico, & monastico esse, aliquam necessitatem imponere. Actum autem intellectus eiusmodi imperium monasticum constitutentem alium a iudicio esse non posse, ex dictis hactenus palam est: atque etiam ex se; siquidem insinuare, sive notificare quidpiam potentie percipienti solius iudicij munus est, ut constat.

Pergo, & suppono tertio, licet intentio finis per se immediatè, atque adeo independenter a cognitione quasi reflexa sui valeat intendenter mouere ad electionem medij, prout supra disp. 36. quest. 6. num. 17. statutum est: possibile nihil minus esse, ut etiam moueat media sui cognitione. Quia, ut potest quis moueri ad volendum, aliquid ex prævisione cuiusvis alterius entisjita, immo titulo speciali, moueri poterit ad volendum medium ex prævisione intentionis finis. Unde Deus bifariam pro arbitrio suo moueri potest ad eligendum medium ex intentione efficaci finis. Primo independenter a prævisione ipsius intentionis. Secundo dependenter. Similiterque iuxta ibi etiam dicta moueri potest bifariam ex electione medij propinquioris ad electionem medij remotoris. Atque etiam casu, quod electio medij sit pure intentiva iuxta ea, quæ dicebamus q. 5. num. 72. eisdem duobus modis poterit Deus

ex illa moueri ad electionem exequituum eiusdem medij; quæ in tali casu ipsissimus erit actus vñs actui, quem semper tanquam necessarium requirunt Thomistæ, iuxta dicta etiam ibidem. Pariterque imperium efficax Dei reflexum ad voluntatem pertinens iuxta dicta num. 81. ad actum imperium ipsius voluntatis mouere poterit vel per se immediatè, vel medià prævisione sui.

Imperium verò efficax Dei etiam ad voluntatem pertinens, consistensque in decreto exequitio mouente omnipotentiam diuinam ad actionem externam iuxta dicta ibidem per se immediatè dumtaxat valet illam mouere; non item per sui prævisionem. Quia omnipotencia (ut pote quæ per se formaliter merè est potentia exequitua operationum ad extra) nec est perceptuā, sicut est voluntas, obiecti per cognitionem propositi, vt possit ab illo, sicut potest voluntas, media ipsa cognitione moueri ad operandum: nec est subdit intellectui, sicut est voluntati, vt possit per actum intellectus ad agendum immediatè moueri, sicut potest per actum voluntatis. Neque ad intellectum pertinet, sed ad solam voluntatem, applicatio immediata potentiarum exequitium (ē quarum classe est omnipotencia) ad suas proprias actiones; ut cum S. Thom. 1.2. quest. 17. tenet communior Theologorum sententia, teste Soarib. I. de Legib. cap. 4. num. 11. Quod si per imperium in iudicio consistens omnipotencia ad suam actionem non potest immediatè moueri, multò minus poterit per imperium consistens in alio actu intellectus a iudicio diuerso, reiectoque iam ut aliunde impossibili supra num. 90.

Ex dictis colligitur, imperium monasticum propriè dictum esse. Primò iudicium de electione medij pure intentiuā mouens ad electionem eiusdem medij exequitiam; quia, quando ex pure intentiuā nascitur, vñs actius venit dicenda iuxta phrasim Thomiticam. Secundò iudicium de imperio efficaci reflexo voluntatis mouens ad eundem actum imperatum per illud. Tertio, iudicium de electione medij mouens ad eius exequitionem per se immediatè omnipotentiam; si id est possibile. Quia in his tribus casibus tali iudicio insinuatur potentia subditæ actus voluntatis ut Superioris necessitas subditam ad eum actum, quem ille insinuatus pro obiecto habet. Omitto actum illum intellectus exoticum a iudicio diuersum, à nobisque explosum ut impossibile num. 90. Qui in tribus etiam dictis casibus imperium propriè dictum est, si possibilis est. Imperium verò monasticum, minus propriè sic uuncupatum, est. Primò iudicium, de intentione finis mouens ad electionem medij utilis ad illum obtinendum. Secundò iudicium de electione medij propinquioris mouens pariter ad electionem medij remotioris. Tertiò iudicium practicum mouens simul cum intentione finis ad electionem exequitiam medij iudicati per ipsum iudicium utilis ad obtinendum talem finem. Quarò actus reflexus voluntatis ipsam mouens ad alium ipsius actum, quem illa habet pro obiecto. Quintò actus efficax, quo voluntas aliam potentiam sibi subditam ad aliquem actum eius mouet, atque determinat. Singuli enim horum quinque actum, eti in aliquibus deliscant ab imperio proprio monastico, in eotamen assimilantur illi, quod actus sunt, medijs quibus potentia superior potentiam sibi subditam mouet ad aliquem actum ipsius. Ob id que

que & illi bono iure imperia nuncapantur. Quod si verò ad actum imperatum non tantum mouent, sed etiam necesitent, ut in plerisque casibus fieri potiori iure, & cum maiori proprietate imperia dicentur. Quibus omnibus supportis, sit iam.

## Propositio. 1.

96 Imperium monasticum propriè dictum neque est necessarium ad prouidentiam Dei, ut medio illo diuina voluntas concipiatur actum vius exequituum mediij electi: neque, ut potentia exequitua prodeat in actum exteriorum.

Prior pars propositionis probatur primò contra Gonzalez, Hemelm. & alios suæ factioñis citatos num. 84. quia eiusmodi actus vius ad Dei prouidentiam necessarius non est, ut vidimus supra quæs. 5. num. 72. Ergo neque imperium mouens ad ipsum est necessarium. Secundò; quia, licet esset necessarius talis actus vius consistens in electione exequitua mediij antea electi pure intentiuè; elec̄tio precedens pure intentiuè per se immediate posset mouere, atque necessitate ad ipsum actum vius; quin opus esset, ut interueniret imperium intellectuale ad eundem mouens, ac necessitans iuxta doctrinam statutam disp. 36. quæs. 6. num. 117. rursusque supra in hac quæstione num. 93. commemoratam. Igitur adhuc dato casu necessitatis talis vius, tale imperium ad Dei prouidentiam necessarium non esset.

97 Posterior pars propositionis contra Granados, Ruiz, & alios eiudem sententia probatur primò; quia, cùm in nobis potentia exequitua immediate moueat per actum voluntatis; quin opus sit imperio intellectus talem actum insinuante, ut experientia ipsa noscimus, sine fundamento afferitur, in Deo omnipotentiam, quæ exequitrix potentia est, non posse moueri immediate à decreto voluntatis exequituo fine interueniūt illius actus intellectus, qui imperium immediatum sit. Secundò; quia vniuersaliter est impossibile, ut aliqua potentia exequitua etiam diuina subiecta voluntati moueat immediate per intellectuale imperium prout num. 94. relinquimus probatum. Ergo nequit esse id necessarium ad prouidentiam Dei.

98 Reiciunt autem argumenta facta necessitatem imperij monastici propriè dicti, atque adeò ad intellectum pertinens a prouidentia Dei: sive dicunt tale imperium in iudicio consistere, sive in actu imperatiuo alterius generis à iudicio diverso. Hujus tamen posterioris necesitas aliunde insuper per ipsius impossibilitatem num. 90. probatam manet exclusa.

## Propositio 2.

99 Imperium monasticum propriè dictum impossibile est in Deo (sicut & in nobis) respectu potentia exequitua distincta à voluntate: ad nullamque proinde Dei prouidentiam potest conferre. Respectu vero voluntatis possibile est: atque adeò utile ad aliquam Dei prouidentiam.

Priorem partem propositionis probat argumentum ultimum precedentis. Quia scilicet potentia exequitua distincta à voluntate non est capax insinuationis per intellectum factæ, in qua consistit tale imperium.

Posterior antem pars probatur. Quia pos. 100 sibile est Deo iudicium de electione pure intentiuæ medij mouens ad electionem exequituum eiusdem medij: tum iudicium de imperio efficaci reflexo voluntatis mouens ad actum imperatum per illud; ut constat ex doctrinâ data num. 93. Ergo poterit Deus talibus iudicij ad aliquam prouidentiam vti. Talia autem iudicia imperia monastica sunt propriè dicta, prout in dictis num. 95. cernere est.

## Propositio 3.

Imperium aliquod monasticum mi- 101 nus proprium ex quinque num. 95. recentis ad omnem Dei prouidentiam necessarium est. Cætera autem quatuor ad aliquam Dei prouidentiam sunt saltem vtilia.

Nam ad omnem Dei prouidentiam ordinariū mediorum in finem, de qua tractamus, necessarium est iudicium practicum de vilitate medij mouens ad electionem exequitum eius, supposita intentione finis. Quod est imperium tertium ex numeratis loco citato. Cæteris autem quatuor posse Deum vti ad aliquam sui prouidentiam, ex dictis hactenus satis, superque notum est. Ad quam proinde saltem vtilia non possunt non esse.

Iam verò quæcunque contra doctrinam no. 101 stram ab Aduerarijs opponantur, per illam eamdem nullo negotio poterunt dilipi. Quocirca in eis proponendis, & refellendis non est, cur ion moremur.

## QVAESTIO VII.

Vtūm scientia visionis mere libera pos-  
sit esse causa sui obiecti proxime,  
vel remotè: sive conferre  
ad aliquam prouiden-  
tiam Dei.

S Tatuimus supra quæst. 4. proposit. 2. (scientiam 101 causandam posse concurre; sive ad prouidentiam Dei pertinere. Nunc querimus, an possit concurre ad causandam eamdem rem, cuius existentiam habet pro obiecto. Duasque partes habet quæstio. Prima. An possit concurre proxime. Secunda. An possit concurre remotè.

Circa primam quæstionis partem multorum Thomistarum sententia absoluē pronuntiat, scientiam visionis non solum posse, sed etiam de facto esse causam earumdem rerum, quarum existentiam habet pro obiecto. Hanc tenent Alvarez de Auxil. disp. 16. Cabrera 3. par. quæst. 6. art. 5. concl. 6. Nauarrete controu. 56. Ledesma trad.